

**CONSUL**  
**ET**  
**SENATUS**  
**CIVITATIS LAVBANENSIS**  
**CIVIBVS ET RELIQVIS**  
**LECTORIBVS**  
**SALVTEM.**

Hist. Saxon.

H.

361,70

1767.

44  
Hist. Sax. eccl. 637.



\* \* \*

**Q**uamquam pro optima Vestra, Ciues, in Nos voluntate summoque studio non expectauimus modo, sed iure fere quodam postulauimus, vt in cura nostra tutelaque, qua non ignobilem huius Urbis scholam complecti solemus, hanc Vos poneretis spem atque fiduciam, qua in eligendo Rectore hoc inprimis tempore omnia Nos illius bonorum ciuium Seminarii utilitate metiri arbitraremini: sumus tamen egregie laetati miroque perfusi gaudio, cum vna quasi populi voce cognosceremus, hunc eundem, qui Nobis futurus Rector probaretur, in desiderio ciuitatis, in ore et sermone omnium non fuisse minus, quam in nostro suffragio. Quo igitur minus dubitamus, quin frequentes ipsi et laetabundi Ciues ad publicam solemnemque celebrationem affluant, cui diem peculiarem diximus, vt designatus nuperrime a Nobis Rector Scholae Maiorum more praeficeretur eique praesese publice iuberetur: eo maiori cum voluptate atque expectatione et in hac re veteri consuetudini obtemperauimus, vt communibus his litteris, quosuis Nostratum et humanitatis et scholae Nostrae Amicos, Fautores et Patronos nouerimus, (nouimus autem plurimos) eorum omnium concionem aduocaremus, vtque, constituta die, beneuoli adessent rogaremus. Sed duplicem hanc adiiciendam putauimus officii Nostri significationem, *alteram*, quae religiosi in patriam Urbem, *alteram*, quae fidelis in *Principem*, *Patriae Patrem*, videretur esse Magistratus, vt et quare sit eiusmodi Lyceo Nostro gubernator datus, et quam ob causam hoc potissimum tempore inaugurandus, rationem redderemus.

Quanta et quam multiplici clade sit intra decem et quod excurrit annos schola haec nostra gratisima nobisque commendatissima afflicta, scitis ipsi, Optimi Ciues, et Nobiscum hanc tam iniquam lugetis fortunam. Mortuo enim *Seidelio*, praereptoque *Taubnero*, Rectoribus, illo vti bene merito, ita hoc feliciter designato, *Bauero*, A. M. Lipsiensi, magni ingenii et insignis doctrinae Viro, scholam regendam vix mandaueramus, cum in finibus prouinciae nostrae bellum illud funestissimum excitaretur, cuius furori vt, dilacerata tota hac et prouincia et vrbe, nostra schola quamquam mutila sit tamen elapsa, diuinae benignitati solum est acceptum ferendum. Saeuit bellum, eiusque barbaries, et inertia et squalor non raro media per adolescentium subsellia tamquam pestis et venenum late serpsit, et discipulorum disturbantur ordines. Exarsit subito flamma, vrbi exitialis, ruinamque et scholae minata, aedificia huic vsui accommodata diruit illa quidem omnia; sed vnum idemque cum orbis inuenire perfugium exulem discipulorum gregem diuina passa est clementia. Quem reducem media inter arma festiue cupideque cum recepisset locus, doctorum scholis et exercitationibus ab antiquo destinatus, tum exterorum, tum ciuium (inter quos lectissimum Waldaiensium Pastorem, *Thomasium*, honorificentissime appellandum duximus) beneficiis restitutus: nunc, pace redintegrata, eo curam omnem cogitationemque conuertere coepimus, vt, quantum in Nobis esset dareturque per communem huius Ciuitatis calamitatem, schola, discipulorum numero, ingenii, in se disciplina, apud alios gratia florentissima efficeretur. Sed nouum prioribus nondum sanatis accessit vulnus ex abitu Viri, optime de instituenda iuuentute meriti, *Baueri* litteratissimi, qui Hirschbergae apud Silesios eodem, quo hucusque apud nostros claruit, Rectoris munere decoratus, non potuit, quin Hirschbergensium voluntati obsecutus Nobis sui relinqueret desiderium. Sitis igitur iudices ipsi, Ciues, quantopere Nobis curae cordique esse debuerit, conuasatae adeo temporum iniuria mirisque modis labefactatae, nunc etiam orbatae scholae reddere Rectorem, de quo optima quaeque non sperare modo et expectare, sed, Deo propitio, certissime euentura, cernere quasi iam oculis possemus in eoque Nobis gratulari.



Neque Noſtram Nos ſpēm feſelliſſe opinamur, cum, Deo adiutore, con-  
cordi Senatu, re diligentius agitata, IOHANNEM HENRICVM ERD-  
MANNVM GOEBELIVM, ex Secundo, inter huius Lycei Doctores  
loco, quem ConReſtor ante decem annos doctrina ſibi parauit, fide tenuit, in  
primum locum euehendum Reſtoremque nuncupandum conſtitueremus. Viri  
enim noſtris et pietatem et probitatem; eruditionem Vobis probauit elegantem,  
longo ſatis docendi vſu, multis variisque editis ſpeciminibus, formandis quam  
maxime ad inſignem humanitatem, tam peregrinae, quam patriae iuuentutis  
ingeniis; diſciplinam denique, morumque regimen, quo veluti ſpiritu anima-  
tur et viuit demum ſchola, ſi cuiusquam, huius certe Viri auctoritati commen-  
dandam Vobiſcum duximus. Quod cum idem Veſtrum de Goebelio Noſtro  
videretur iudicium, non potuimus hunc praetermittere locum, qui ad con-  
ſtringendum arctius amicitiae mutuaeque inter Nos Ciueſque Noſtros cariſſimos  
beneuolentiae vinculum valeret maxime, quin luculento hoc et domeſtico ex-  
emplo doceremus, vti ad incitandam hominum noſtrorum diligentiam, ita ad  
ornandum praemiis eorum ciuibus fructuoſum laborem Nos eſſe paratiſſimos.  
Quamquam enim in remunerationem quaſi fidei de erudiendis filiorum animis,  
noſtrae Scholae doctores habitae, hoc libenter exteris tribuimus, vt in mu-  
nerum honorumque eos communionem cum indigenis vocaremus, ſumusque  
ab hac in eos voluntate neque nunc alieni, neque erimus vumquam: hoc tamen  
tempore Vobis, Ciueſ, honeſte gratificaturi, noſtro noluimus deeſſe officio,  
cumque natus Nobis eſſet is, qui ſcholae praeficeretur, aliunde, quem praefi-  
ceremus, arceſſere.

Quare *Ciuiſus* hoc fore maximo argumento arbitramur, vt Reſtorem tam-  
quam ciuem et fratrem eo magis ament, ſuſpiciant filioſque educandos fiden-  
ter ei tradant; *diſcipulis* ſummō vero incitamento vitae ad laudis et honeſtatis  
praecepta componendae, cum, quae ſunt in Noſtra poteſtate maxima, prae-  
mia et ſibi intelligant eſſe propoſita; *Scholae* denique et vniuerſae huic *Ciuitati*  
apud exteros inſigni commendationi, vtilis Reipublicae et natei Nobis Viros  
et inſtitui. In quo enim patriae vrbis cauſa nobis quodammo do gloriari licet,  
noſtris hominibus omnino contigiſſe, vt eorum et ingenia et ſtudia tam pere-  
grinis quam ciuibus ſemper mire placerent ferrentque aliis in locis induſtriae  
ſuae vberiores, quam quos poſſemus ipſi, anguſtis circumſcripti finibus, prae-  
ſtare fructus; in quo etiam comiter, pie, reueremur et ſubmiſſe praeclarum  
illud et proſus ſingulare, quod Sereniſſimi Saxoniae Principes et Potentiſſimus  
quondam beatiſſimae memoriae Poloniae Rex, FRIDERICVS AVGVSTVS  
fecerunt de duobus Noſtratum iudicium, vt in vtraque Saxoniae Academia  
alterum, *Wincklerum*, Virum in omni philoſophia, in phyſicis vero inprimis  
erudiſſimum (quem, quamquam in vicinia natum, hic tamen a puero educatum  
inſtitutumque iure noſtrum dicimus) Lipſiae, alterum *Pauli*, Virum, iuris Ro-  
mani et Germanici peritiſſimum, Wittebergae inter doctores eminere iuberent:  
In quo igitur et reuerentia et laetitia abundamus, in eodem ne uideri quidem  
voluimus carere in patriam hanc noſtram urbem pietate, aut in ciueſ fauore,  
adeo vt minoris noſtros, quam Principes Ipſi Clementiſſimi, Patres Patriae, ſint  
ſoliti, faceremus.

Iam ſatis eſſe factum promiſſo Noſtro ex vna parte Nobis eſt perſuaſum.  
Reſtat, vt cauſam Vobis, Ciueſ, aperiamus, quare is ipſe, quem diximus,  
dies feſtus Nobis eſſe debeat atque ſolemnis. Intelliget eam facile, quiſquis  
fido in *Patriae Patrem* eſt peſtore. Sumus zutem omnes, vt dubium videatur,  
Noſtramne Vos, Ciueſ, an Nos Veſtram imitemur fidem. Patiemur igitur,  
vniuerſae Saxoniae proximum Iouis diem, *Frideſiciano Nomini* conſecratum  
illuceſcere laetiſſimum clariſſimumque, Noſtrae vero Ciuitati haud memorabilem



praeterire diem atque exoptatum? Pro salute *Optimi Principis*, FRIDERICI AVGVSTI, Electoris Saxoniae Clementissimi, piis votis personabunt omnia? Et Nos tacebimus? Neque nos commouebimur? cum in FRIDERICO AVGVSTO, Augusto Saxoniae Principe, Iuuentutis Florem, Augustae Matris Delicias, Tutoris Saxoniarumque Administratoris Serenissimi Sanctissimum Pignus, Spem subsidiumque Patriae intueantur, admirentur omnes venerenturque? Omnes Omnium Augustorum in se Maiorum virtutes coniungat Elector Iuuenis, gloriam exaequet, felicitatem superet, aurea reddat tempora, quae reperit ferrea, Patriam temporum bellique iniuria dirutam atque oppressam recreatam per se posteris tradat et florentem, minus nos quam reliqui Saxoniae Lusatiaeque Ciues optabimus? Non ita, Ciues Optimi! Quamuis ad extremam Saxoniae Lusatiaeque oram reiecti, nihil tamen in Principe reuerenter habendo cedamus ne iis quidem, quibus vel quotidie Praesenti officii offerre signa contigisse videmus. Etsi enim exiguo in loco constituti, neque opibus valeamus neque potentia, summo tamen atque fideli in Principem obsequio, reuerentia et amore, nos valere plurimum, recte gloriamur.

Quamobrem et hac, quae Nobis se obtulit, temporis opportunitate vrendum putauimus, vt quem diem toti huic Vrbi, Vniuersis et Ciuibus et Incolis memorabilem, celebrandum, bonis pro salute vitaeque *Optimi Principis* votis et gratulatione plenissimum esse volumus, hunc eundem Lyceo Nostro, bonorum Ciuium seminario, solemnem, festum et ad perpetuam memoriam maxime insignem diem efficeremus. Cum enim designatus nuper Scholae Rector publice esset a Nobis, maiorum more inaugurandus, Scholae praeesse iubendus, officiorum et in rempublicam et inter se mutuorum vti et ipse reliquique doctores, ita et discipuli commonefaciendi: religione et pietate Deo Ter Optimo Maximo pure casteque tributa, vnde essent Nobis agendi capienda feliciora primordia et aptiora, non euenit, nisi vt et exemplo et praeceptis doceremus, post honorem Diuino Numini pie sancteque habitam, in *Principem Electorem, FRIDERICVM AVGVSTVM Clementissimum, in Tutorem et animo et sanguine Regium XAVERIVM, in Almam Matrem ANTONIAM, Augustamque omnino Domum Saxoniam*, veneratione, fide et obseruantia, nullum nec sanctius nobis esse nec proprium magis et voluntarium officium. Ad quod rite obeundum, quamquam natura quasi duce inclinare omnes et impelli videmus, quibus haec germana est patria: tamen vel currentes incitare, et iuuentuti nostro praecire exemplo, volupe visum Nobis fuit atque iucundum.

Faxit igitur Deus, vt futuro proximo Iouis die (d.V. Martii) quem communi Vrbi laetitiae, singulari Scholae gaudio constituimus, quem totum esse nostrum volumus feliciter omnia et ex voto cadant. Hoc enim stato die, more Maiorum, Solemni Panegyri, JOHANNES HENRICVS ERDMANNVS GOEBELIVS, Laubanensis, Lycei Nostri Rector dictus vocatusque, a Nobis erit inaugurandus ita vt, quantum in Nobis erit, in Deum religiose, in Principem pie, in hanc Ciuitatem officiose, in Scholam patrie, beneuole in Doctores, in Discipulos denique amabiliter egisse videamur. Itaque, quos Patronos, Fautores Lycei Nostri et Amicos alit haec Nostra Vrbs et continet, eos omnes, illo, quem diximus, die V. Martii, Hora Nona matutina, solemnem hunc Actum, sua praesentia ornare velint et illustrare, beneuolentia comprobare, piis denique votis et precibus adiuuare, officiose et humaniter rogamus. P. P. Prid. Kalend.

Martii. Anno MDCCLXVII.

\*